

autem de voluntate in proprio, et debito statu, et ut movetur a propria, et debita advertentia, a nullo objecto extra Deum clare visum potest necessitari quoad exercitium. Et probatur, quia nullum objectum proponitur cum tanta plenitudine boni, quod non possit voluntas divertere ejus cogitationem pro hic et nunc, ut experientia quotidiana comprobatur, nam si etiam ipsam vitam, et ipsum esse potest quis fugere, et odio habere, ac desiderare mori, quodnam bonum tam debitum, ac necessarium, vel tam plenum erit, quod non possit homo divertere, et ad aliud attendere? Et idem est de beatitudine in communi, quæ non necessitat nos quoad exercitium, alias in illius volitione non posset quis mereri, cum tamen honestus, et bonus actus sit velle bonum in communi, juxta illud Psalm. xxxiv: *Diverte a malo, et fac bonum*. Et hujus ratio est, quia voluntas est potentia universalissima, quæ ad quodcumque bonum se potest extendere, sicut materia ad quaecumque formam: ergo præter universalissimum bonum in se clare visum, nullum aliud bonum particulare potest plene adæquari ipsi potentie voluntatis. Quamdiu autem voluntas non est adæquata, et plena, potest ad aliud divertere, et aliud bonum desiderare; ergo a nullo bono extra universalissimum bonum clare visum potest necessitari, ut non divertat ab illo, et consequenter manet libera quoad exercitium, quia avertendo cogitationem ab objecto, cessat exercitium voluntatis circa illud. Quæ est ratio D. Thomæ hic quæstione x, artic. ii.

XVI. Sed objicies contra illam, non recte, et sufficienter probare. Primo quidem, quia Angelus in prima sua operatione erat liber quoad exercitium, quia merebatur per illam, ut doceri solet prima parte,

quæst. lxiii, et tamen non poterat divertere illam primam cogitationem, quia erat immediate a Deo; ergo posse, vel non posse divertere cogitationem, non conducit ad libertatem quoad exercitium. Deinde, quia saltem manente apprehensione objecti, et judicio, voluntas necessitabitur ad exercitium, quia si ex eo potest libera in exercitio esse, quia potest divertere cogitationem, ergo illa stante necessitabitur; et sic cum est vehementissima, et valde fixa apprehensio rei, non manebit libera voluntas in exercitio in sensu composito, cum tamen oppositum experientia constat, quia etiam stante apprehensione, et judicio de aliquo objecto, potest voluntas se detinere. Et damnati habent vehementissimam apprehensionem de illo igne torrente, et tamen liberi manent quoad exercitium in actibus, quos inde concipiunt erga Deum, et in odio ipsius, quia peccant in his; ergo sunt liberi.

XVII. Ad primum respondetur rationem D. Thomæ efficacem esse, etiam admissio illo casu, quia si Angelus manet liber quoad exercitium, etiam quando non potest divertere cogitationem, eo quod cogitatio ipsa cum indifferentia exercitii proponitur, quanto magis non necessitabitur, quando potest cogitationem divertere. Itaque quoties cogitatio diverti potest, optime infertur libertas quoad exercitium, quia non potest manere exercitium voluntatis circa aliquod objectum, si divertitur ejus cogitatio: e contra tamen non valet, quia bene potest manere liberum exercitium, etiamsi non divertatur cognitio. Veritas tamen est, quod in illo primo instanti licet non posset divertere Angelus cogitationem illam quoad specificationem assumendo malam, aut defectuosam cogitationem, quia non poterat se

movere, sed a solo Deo, nec poterat formare dictamen defectuosum, aut conformari illi, tamen poterat quoad individuationem, et exercitium divertere eligendo hanc numero volitionem potius quam illam, et divertendo ab illa individuali, vel ab alia, aut cum tanta, vel tanta intensione, aut duratione, quia sic movebatur a Deo ad actum talis speciei (scilicet ad bonum, quia ad malum non poterat a Deo) quod relinquebat illi latitudinem in eligendo istum, vel illum numero actum, prout vellet. Et hoc sufficit pro libertate in exercitio. Et in opinione eorum, qui putant voluntatem posse ab omni actu se suspendere, et privare, poterat physice divertere ab illo actu per omissionem pure negativam, non per omissionem moralem, et privativam, quæ fundatur in alio actu priori, vel concomitante.

XVIII. Ad secundum respondetur, quod posita cogitatione, quantumvis vehementissima, si non tollit indifferentiam judicii, semper potest divertere illam voluntas, et alteram eligere pro sua libertate, et convenientiorem sibi rationem invenire, licet non vehementiorem. Et cum dicitur, quod stante illa cogitatione necessitabitur voluntas, distingo; ex suppositione quod non vult illam divertere, sed eam acceptat, et ab ea movetur, transeat; absolute, et simpliciter, nego. Necessitari autem voluntatem ex suppositione, quod non vult divertere, nec vult oppositum, nullum est inconveniens, quia hæc non est necessitas, sed voluntas, tenetur enim, et coarctatur, quia vult teneri. Quare si voluntas velit potest ab illa cogitatione non moveri, aut totaliter divertendo, et defferendo illam, aut si illa maneat, efficaciam ejus et motionem practicam enerando, faciendo quod alia propona-

tur efficaciore modo, id est, secundum majorem convenientiam hic et nunc, quod est divertere ab illa practice, licet non divertatur speculative, quia cognoscit illam adhuc. Et sic in sensu composito illa cogitatio non necessitat ex sola suppositione cogitationis, sed solum ex suppositione acceptationis ipsius voluntatis, quia vult non divertere.

XIX. Ad id vero quod dicitur vehementissima cognitione damnatorum de suis pœnis, respondetur eos non manere liberos in sentiendo dolorem, et afflictionem, nec posse divertere cogitationem de pœna infligta, cum ita acerba sit, nec in manu eorum sit avertere illam, ignorare, vel non cogitare de illa. De objectis vero, quæ non pertinent ad pœnam, sed ad culpam libere cogitant, et libere volunt, licet ex prava adhæsione, et obstinatione de facto ab illis non cessent.

XX. Ad secundum dubium, quod in hac difficultate proponitur, scilicet a quo principio efectivo proveniat ista necessitas quoad exercitium supposita propositione talis objecti, circa quod necessario erumpit voluntas, respondetur quod quando ista necessitas fit cum plena advertentia in conspectu objecti beatifici, illa necessitas effective provenit ab elicentia illius actus, scilicet a charitate, quæ est principium illius amoris supernaturalis. Quando vero ista necessitas provenit sine advertentia plena, ut in motibus subitis, principium talis necessitatis effectivum est ipsa voluntas, ut in tali statu constituta sine indifferentia judicii: sicut appetitus in brutis est causa effectiva actus necessarii in exercitio, vel ipse instinctus naturæ inclinans ad objectum sic propositum; et eodem modo se habet voluntas respectu talis objecti sic propositi. Itaque sicut in aliis potentiis necessariis, in objectum fertur po-

tentia actu necessario quoad exercitium, sicut visus in colorem, nutritiva in alimentum, grave in centrum, nec tamen effective oritur illa necessitas a centro, ab alimento, a colore, sed a potentiis circa illa; ita a voluntate circa objectum sine indifferentia propositum, oritur effective illa necessitas in exercitio. Sed tamen in patria oritur non a nuda voluntate, nec per solum concursum generalem Dei, sed a voluntate elevata per charitatem.

XXI. Et ratio est, quia ille necessarius amor est fruitio beata Dei in se, homo autem indiget principio elevante ad videndum Deum, et beate fruendum illo, ut determinatur in Clementina Ad nostrum, de hæreticis; ergo ille amor necessarius cum sit fruitio Dei, necessario oritur non a voluntate nuda, sed ut elevata. Elevatur autem per charitatem a qua procedit amor fruitivus Dei; ab illa ergo effective procedit necessitas illa quoad exercitium in actu amoris, et charitatis, in motibus autem subitis, et indeliberatis, in quibus procedit voluntas sine plena advertentia, necessitatur voluntas ex ipso proprio modo, et statu in quo invenitur, quia non relinquatur illi indifferentia ad arbitrandum, et eligendum, sed ipsa naturæ propositio, et instinctus ab auctore naturæ datus, quo operatur tamquam naturalis appetitus, seu non indifferentem præventus ad determinatum bonum sibi propositum sine indifferentia, ad id enim ex naturali instinctu propendet sicut appetitus sensitivus ad bonum sensibile sibi naturaliter, et determinate propositum.

XXII. Instabis: Beatitudo in communi naturaliter attingitur a voluntate, habetque sufficiens motivum ut necessitet quoad exercitium; ergo aliquid præter beatificam visionem necessario movet quoad

exercitium. Antecedens probatur, tum ex D. Thoma, qui id affirmat in hac quæstione x, art. II; tum, quia in ipso bono in communi nulla apparet ratio mali; non ergo voluntas potest ab ejus amore cessare, cessatio enim ab actu, non est nisi ratione alicujus retrahentis; tum, quia in Angelis volitio sui, et Dei ut auctoris naturæ est quoad exercitium necessaria, et a fortiori in Deo, qui amat se ipsum necessario quoad exercitium; ergo etiam in nobis tale exercitium erit necessarium, et non liberum, alias perfectiori modo nostra voluntas tenderet in illud objectum, quam Angelus, scilicet libere, et non necessario; tum etiam, quia liberi actus derivantur in nobis ex aliquo actu necessario quoad specificationem, quia omne indifferens, et variabile originatur ex aliquo firmo, et necessario, alias esset processus in infinitum, nec fundamento firmo niteretur totus processus liberorum actuum; ergo etiam reduci debet in aliquem actum necessarium quoad exercitium, ut ex hac etiam parte firmum sit, sicut etiam in intellectu assensus circa principia est evidens, et necessarius, quia ex terminis motus; ergo etiam bonum in communi volitionem necessariam inducit, quia ex terminis est nota ejus bonitas. Quod præsertim habet verum in primo judicio movente voluntatem, hunc enim avertere non potest voluntas, cum sit primum; ergo necessitatur ab illo quoad exercitium.

XXIII. Respondetur negando antecedens; si loquamur de naturali, et necessaria attingentia quantum ad exercitium, sufficit quod sit naturalis quantum ad specificationem. Et ad primam probationem ex D. Thoma respondetur ipsum non dicere, quod voluntas sit naturaliter determinata quoad exercitium erga bonum in communi, quia in princi-

pio articuli expresse distinguit de motione quoad exercitium, et quoad specificationem, et primo modo dicit a nullo objecto moveri, secundo vero modo moveri a bono, seu fine. Ad secundam probationem dicitur, bene posse in ipso exercitio apparere aliquam rationem mali, id est, disconvenientis, vel minus apti, si non ex parte objecti, saltem ex parte actionis, verbi gratia, quia de aliis oportet cogitare, vel quia tædet de eodem semper tractare, aut aliquid simile, et sic licet ex parte objecti solum appareat ratio boni absolute considerati, et terminative, tamen ad exercitium necessitandum hoc non sufficit, sed requiritur, quod comparative ad subjectum semper appareat ei bonum, et nunquam disconveniens, aut tædiosum, aut impeditivum alterius cogitationis, vel actionis, et hoc in nullo objecto, etiam boni in communi invenitur, quia bonum in communi, ex hoc ipso quod in communi accipitur, abstracte se habet, et minus apte ad omnia exercitia in particulari tractanda, vel disponenda, sed aliquod impedire potest. Solus Deus clare visus nihil impedit, et ad omnia juvat, et exercitium habet cum summa delectatione, quia summum, et universale bonum est, et in omnia influit, et sic etiam respectu cujuscumque exercitii nullum affert impedimentum, sed conduit, et in suo exercitio summam delectationem habet: *Nec enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiā, et gaudium*, ut dicitur Sap. VIII.

XXIV. Ad tertiam probationem respondetur, quod in Angelo, sicut et in homine, potest reperiri et amor sui per appetitum innatum, et per appetitum elicitem, qui naturalis est quatenus conformis naturæ, eique valde conveniens. Primus amor non consistit in actu,

seu operatione, quia appetitus innatus non appetit per elicentiam, sed est ipsa proportio, et coaptatio unius erga aliud ante omnem actum, et ita necessarius appetitus est, quia necessario inest illa proportio, nec tamen dicitur proprie necessitas quoad exercitium, quia ubi non est operatio, non est exercitium. Invenitur autem appetitus iste innatus tam respectu sui proprii esse, quam Dei ut auctoris ipsius esse, quia maxime proportionatum est naturæ ipsum esse, et conservatio ejus, et ipsum primum principium a quo habetur esse, et a quo essentialiter dependet, et participatur. At vero secundo modo Angelus, et homo se ipsum, et Deum amant libere quoad exercitium, licet necessario quoad specificationem per se loquendo (ut supra diximus.) Nam Angelus, et homo in diligendo se, et dum actu elicito naturali possunt mereri, implent præceptum de diligendo Deo et se, sibi que procurando bona; ergo ille actus quoad exercitium liber est, capaxque præcepti, et meriti, potestque mutare hunc, vel illum actum in individuo; potest etiam divertere a tali amore, aut divertendo cogitationem, ut in nobis experimur, aut corrumpendo dictamen, et æstimationem de Deo, et de se, et sic Deum, et se ipsos odio habendo, ut damnati faciunt, et multi homines.

XXV. Ad quartam probationem respondetur non oportere, quod reducatur libertas, et indifferentia actuum ad aliquem actum necessarium quoad exercitium; sufficit quod ad aliquid necessarium quoad specificationem, et ex parte objecti, quia si est firma, et fixa specificatio, sufficienter tota indifferentia resolvitur posita determinata specie. Quod vero etiam determinetur individuatio, et exercitium actus non pertinet ad perfectionem libertatis,

nisi vel objectum sit summe bonum clare visum, et tunc non est principium, sed consummatio, et finis ultimus libertatis; vel subjectum sit in statu imperfecto, et cum inadvertentia, sicut in motu primo, et hoc non pertinet ad perfectionem libertatis, sed ad imperfectionem. Exemplum vero de intellectu non quadrat, quia intellectus non est potentia formaliter indifferens, et libera, et ideo in suis principiis, a quorum evidentia movetur, non est mirum, quod moveatur necessario quoad exercitium propositis terminis; potest tamen a voluntate diverti cogitatio de illis terminis, et sic cessabit exercitium assentiendi.

XXVI. Ad id vero quod dicitur de primo iudicio a quo homo, vel Angelus movetur, quod non potest illud divertere, et sic necessatur ab illo, respondetur quod non potest illud avertere potentia antecedenti, bene tamen potentia consequenti, eo quod iudicium illud licet non formetur per imperium, et deliberationem ipsius Angeli, sed a Deo communicetur illi, tamen communicatur cum indifferentia quoad exercitium, quia datur illud iudicium ut regulativum actionis liberæ, quæ ab Angelo tunc facienda est. Unde taliter datur ad quod ex modo suo potest operari, aut non hoc Deo individuum operari, sed aliud, et physice saltem ab illo cessare, quia non coarctatur ad illud ex vi bonitatis objecti, et motivi quo movetur, licet non possit moraliter cessare, si ponatur præceptum, quod omitti non potest nisi defective, id enim pro illo instanti non potest, quia non movetur defective, nisi ex aliquo dictamine defectuoso, et hoc habere non potest in primo instanti, quia a se, vel ab alia creatura moveri non potest, et dictamen accipere, nisi a solo Deo, et Deus defectuosum dictamen dare non potest,

ut latius in secundo tomo primæ partis in materia de Angelis ostendimus.

QUID DE NECESSITATE VOLUNTATIS AD CONTINUATIONEM, VEL EXISTENTIAM SUI ACTUS?

XXVII. Specialis difficultas est in explicando, et assignando tempore, seu duratione pro qua voluntas est libera, libertatemque exercet in actibus suis. Et loquimur de voluntate præventa iudicio indifferenti, et utente ratione. Nam ante usum rationis, seu ante tempus, quo advenit usus rationis, certum est voluntatem non posse libertatem suam exercere. Supposito autem usu rationis et iudicio indifferenti, duplex est difficultas de libero exercitio actus voluntatis: altera quoad inceptionem actus liberi; altera pro continuatione, et fere una sequitur ex altera. Pro inceptio est difficultas, an sufficiat unicum instans in quo physice elicitur actus, ad hoc ut incipiat libertas ejus, et denominetur liber; an vero requiratur præcessisse aliud instans in quo possit elicere, vel retinere actum, et deinde sequatur aliud instans in quo eliciat, et verificabitur in isto, quod possit non elicere per connotationem ad præcedens, ratione cuius potuit non elicere; an vero in eodem unico instanti verificatur, quod eliciat, et possit non elicere. Pro continuatione vero est difficultas, an elicto actu libero, necessario debeat durare aliquo tempore præter instans in quo elicitur; an vero possit immediate post desinere, et cessare.

XXVIII. Circa primum aliqui ita existimant, quod unicum instans non sufficiat pro elicientia, et inceptio actus liberi, sed si voluntas in unico tantum instanti operatur, necessitari ad operandum. Et hac

ratione defendunt in primo instanti Angelum non posse peccare, quia non potest libere operari. Et habet hæc sententia fundamentum in eo quod docuerunt aliqui Nominales, ut Ocham in primo, dist. xxviii, et in quodlibeto, quæst. xvi, et sequitur Gabriel in i, dist. xxxviii, q. i, videlicet, quod res pro illo instanti, quo est, non potest non esse. Unde sequitur quod in instanti non est contingentia, neque libertas, quia pro illo instanti non potest oppositum esse; ergo neque potest oppositum operari: ergo caret libertate, quia libertas est potestas ad facere, et non facere.

XXIX. Circa secundum vero aliqui existimant actum liberum præter illam primam elicientiam liberam, quæ sit in instanti, necessario debere continuari per aliquod tempus, vel per tempus aliquod determinatum, ut sentit Gregorius in primo, distinct. xxxviii, articul. xxv, et in ii, distinct. iv et iii, quæstione unica ad quartum, vel saltem per aliquod tempus indeterminatum, ut alii existimant, saltem pro isto statu. Et hoc ideo, quia non potest voluntas transire de actu in actum per duo instantia immediata, quia non datur: ergo debet durare plusquam per instans in priori actu. Non potest autem voluntas, si est in vigilia, totaliter suspendere actum suum: ergo oportet quod relinquat unum actum per adventum alterius: ergo debet durare plusquam per instans in quolibet actu.

XXXI. Dicendum nihilominus est primo, liberum actum vere, et proprie, et sufficienter posse in unico, et in primo instanti exerceri, etiam si aliud instans non præcesserit ratione cuius dicatur posse oppositum. Ratio est, quia in quocumque instanti voluntas præventa sit iudicio, et dictamine indifferenti, ita fertur, et determinatur erga objectum, quod

posset ad aliud determinari, et circa istud non operari, licet ex suppositione quod operatur, et se determinat non possit componi, quod desinat operari: ergo libere se exercet, et operatur. Antecedens probatur, quia illud iudicium indifferens movet, et dirigit voluntatem indifferenter, non enim coarctat ad unum determinate, si quidem proponit cum indifferentia; ergo voluntas sic præventa habet sufficiens motivum ad volendum, quia utraque habet dictamen, cum habeat indifferens iudicium. Ex vi ergo propositionis objecti ita accipit, et vult unum quod posset velle alterum. Consequentia vero probatur, quia ad exercendum se libere in aliquo actu, non requiritur nisi posse oppositum, non vero agere de facto tale oppositum, hoc enim est impossibile, quod simul libertas conjungat agere, et non agere. Ergo hoc ipso quod agendo manet potestas, seu potentia in actu primo ad oppositum, salvatur libertas, et sic posse oppositum in actu primo, et agere oppositum in actu secundo, nunquam pugnant inter se.

XXXII. Nec obstat, quod in illo instanti agit, et non potest in eodem instanti non agere; ergo non salvatur quod possit in illo instanti oppositum, sed requiritur quod in alio instanti antecedenti possit pro libito suo exercere, vel non exercere id quod in sequenti instanti detinere non potest, cum instans indivisibile sit sive in agendo, sive in omittendo. Respondetur enim, quod in illo instanti in quo agit, non potest oppositum, distinguo; potentia antecedenti, nego; consequenti, concedo. Quod est idem ac dicere, in sensu composito, concedo; in sensu diviso, nego. Nomine autem potentie antecedentis non intelligitur, quod sit antecedens duratione, quasi in alio instanti præcesserit, sed quod sit an-